

quit igitur post se iam dictas Lecturas, super Codicem & Digesta, Præerea de Formulæ actionum lib. 1. De ordine iudiciorum lib. 1. De arte Notariatus lib. 1. & quedam alia, Mortuus est Bononiæ, Anno M. CC. LXV. ut colligitur ex Epitaphio suo, quod habet in hæc uerba.

DEO TRI. VNI.

PIRAMIDEM ET SEPVLCHRVM VETVSTATE
CORRVPTA, QVÆ ALBERTVS GENITORI SVO
ODOFREDO LEGVM PARENTI ANNO DOMINI
M. CC. LXV. III NONAS XBRIS POSVERAT: 10
LAVRENTIVS ODOFREDVVS DOMINICI ODO
FREDI POSTERIORIS FILIVS, ALBERTI TRI-
NEPOS, SVA IMPENSA IN MELIOREM FA-
CIEM OPERE ET CVLTV SPLENDIDIORE
RESTITVIT. ANNO SALVT. M. CCCC. XCVII
CAL. SEPTEMB.

HOSTIENSIS.

SUCCESSIT ISTIS Henricus de Segusia, postea Cardinalis Hosti-
ensis factus. Hic ob eximiam eruditionem suam primum Inno-
centio IIII Pontifici, & inde Alexandro IIII eius successori ualde
gratus fuit. Iuris civilis & pontificij summam uno uolumine com-
plexus est, ordine conuenientissimo, & tractatione elegantissima.
Illud post longum utriusq; iuris studium atque exercitium inceptum,
postea uero incendio amissum, tandem Cardinalis inter alia sua ne-
gotia absoluit, ut ipse refert in fine eius operis. Edidit præerea Le-
cturas in V libros Decretales. Et dicit Matthesianus alicubi, per-
magnam esse huius Hostiensis inter iureconsultos auctoritatem. Flo-
ruit sub dictis Pontificibus, Anno M. CC. LV. & sequentibus.

SPECVLATOR.

HOSTIENSIS prædicti auditor & discipulus fuit, Guilielmus
Durandus, qui postea eximium opus, quod Speculum inscri-
psit,

psit, Anno M. CC. LXXI. edidit, ex eo magnam sane gloria apud
posteritatem consecutus. Multa tamen ueterum scriptorum ipse sibi *In tit. de tra-*
sumpsit, & in hoc opus ad uerbum descripsit, quæ postea Ioan. An- *str. ed. S. a.*
dreas in Additionibus suis passim notauit atque prodidit. Præerea
frequentissimum hoc illi est, opinionibus aliorum hinc inde utraq;
in partem recitatis, subicere, quæstionemq; in suspensio relinquere.
quæ quidem res dubium lectoris animum magis etiam implicatum
reddit. Nihilominus tamen uulgi scriptor est, deq; Iuris prudentia
bene meritus. Excessit ex uita non multo post, quàm Speculum
10 absoluisse, iuuenis adhuc, & annum X X X non ita multum
egressus.

IACOBVS DE BELLOVISO.

HIC septies libros Feudorum publicè prelegit, & in illos de-
mum Commentarios conscripsit. Præerea Practicam iudi-
ciariam in Criminalibus, & librum Quæstionum edidit. Floruit
circa hæc tempora.

BARTHOLOMÆVS BRIXIENSIS.

QUÆSTIONES Dominicales & Veniales, & præerea addi-
tiones quasdam ad Glossas Decreti conscripsit. Fuit iisdem
10 temporibus, sed ætate senior aliquanto, quibus duo proximi.

IPH O.

IPHO Britannus natione, sub Philippo Pulchro Galliarum rege
(qui quidem Anno Christiano M. CC. LXXXV regnare
cepit) uiguisse traditur. Natus est claris & opulentis parentibus,
qui puerum Iphonem Lutetiam primum, post Aureliam, studiorum,
& maxime Iuris civilis discendi gratia miserunt. Cæterum ab-
soluta postea scholasticorum studiorum cursu, ad suos reuersus,
cum excellens eius non tantum eruditio, uerum etiam uitæ sancti-
10 monia passim celebraretur, ab Episcopo Trecorensi accersitus, &
ab eo causis audiendis præfectus est, quem Officiale nunc uulgo
appellant. In hac præfectura tam innocenter, tam iuste, tam cle-
menter, tamq; integre se gessit, ut nullius rei præter uirtutem, appe-
Gg tens

In tracta. de
succ. ab in-
testa.

tens inquam fuisse, ab omnibus iudicatus sit. Erat aut inter ceteras uirtutes eximia quadam erga pauperes miseratione conspicuus, quos suis opibus omnes quoad posset, magno studio subleuabat. Tandem circiter quinquagesimum etatis sue annum uita defunctus, non uulgi solū opinione, sed summi etiam Pontificis iudicio auctoritateq. inter Diuos relatus est, et eius festus dies VI. Calend. Septembris celebrari iussus. Quæ propterea hic commemorari, ut adulescentes in illius festo die ex more declamaturi, hinc qualem qualē eius uiri cognitionem (cum obscura sit aliā historia) sumere queāt: cuius ignoratio, ne aliquando declamaturum ualde torquebat. Præterea indecorū uidebatur, quem Pontifex Max. in catalogum Diuorum retulisset, eum in hunc clarorum Iureconsultorum numerum non recipere.

DINVS.

Diuus Mugelanus, clarissimi nominis professor etate sua fuit. Commentatus est super Digestis: super Titulum de Actionibus, in Institutis: super Titulum de Regulis Iuris, lib. VI. eum tamen Titulum non tanquam Canonum, sed Legum peritus, explicauit, quare nunquam ferē Ius Canonicum allegat, contentus eo Iure quod ipse didicerat. Nam Canonici iuris inscius fuit, si Ioannius Andreae credimus. Sepultus est Bononiæ ad S. Dominici templum, sepulchro humili quidem, sed ob tanti uiri memoriam notissimo. Et proxime quidem iuxta ipsum Cyrius sepultus est: ut non minus animis quam nominibus inter eos conueniisse, intelligere possis. Vixit anno Millesimo trecentesimo.

PETRVS DE BELLAPERTICA, IACOBVS DE ARENA, MARTINVS DE SVLMANNIS.

Eodem tempore floruerunt, Petrus de Bellapertica Burgundus, illustris Iureconsultus, qui scripsit super Digestis, super Codice, & super Institutis, et complures Disputationes. Item Iacobus de Arena, Parmensis, qui breuiter quidem, sed uiliter & doctè in Disputationibus scripsit super Digestis & Codice. Illius opiniones, ut meminit Bartholus,

in addi. ad
Spec. de Suc
cess. ab int:
in prin.

tholus, uelut plurimum Iuri consonæ fuerunt, & geminum Iuris intellectū consecutæ sunt. Item Martinus de Sulmannis. Hic in legibus (quas Bononiæ professus est) præceptor Ioannis Andreae fuit. Nul- lum illius scriptum commemoratur.

RICHARDVS DE MALVMBRIS.

Richardus de Malumbris Cremonensis fuit. Professus est tempore regis Roberti Patavij. Hic (Baldo teste) omnium etatis suæ Iureconsultorum doctissimus & præstantissimus habitus est, tandem tamen in hæreseos calumniam incidit, de qua etiam condemnatus fuit: iure ne in iniuria, & cuius hæreseos nomine, non satis constat. Ceterum hoc notum est, intercessisse pro eo apud Summum Pontificem, Collegium Iureconsultorum Bononiensium: sed in cassum. Quid igitur tandem actum fuerit cum eo, non legi. Multa scripsit, ut Baptista Caccialupus tradit: quorum tamen copia rara sit. Floruit Anno M. CCC.

Bal. in l.
Quicung.
C. de Epif.
& cleri.

IOANNES ANDREAE.

Ioannes Andreae Bononiæ natus est, parentibus honestis quidem, attamen obscuris. Patrem habuit Ludimagistrum, sub quo octennis literas & grammatica discere cepit. Deinde patre sacerdotio initiato, sub præceptore Bonifacio quodam Pergamensi literarum studium absoluit, adeo feliciter (pro ut ea tum tempora fuerent) ut ipse præceptor adolescenti prædiceret, fore ut in celeberrimorum & Doctorem euaderet. In Iuris civilis scientia Martinus de Sulmannis audiuit. Canonici tamen longe studiosior fuit, quapropter in eo solo suis scriptis illustrando postea elaborauit. Itaq. Glosas continuas ad librum VI. Bonifacij VIII. & Nouellas Clementis V. conscripsit. Præterea Commentariorum uolumina duo, quæ Nouellas & Mercuriales inscripsit. Postremo autē opus additionum ad Speculum Guillelmi Durandi, quod edidit Anno M. CCC. XLVII. Fuit uir eleganter doctus, nec in Iureconsultorum tantum, uerum etiam bonorum authorum omnium scriptis diligenter uersatus: id quod multis in locis Commentariorum & Glossarum

Vide Addit.
ad Spe. tit.
de fi. pres.

Gg 2 eius

in Singula.
 667.
 eius apparet. Hic à doctis omnibus ad caelum usque laudibus uectus est. Ludouicus Romanus omnium hominum praestantissimum appellauit. Hoc uirij tamè in tanto uiro notatum reprehensumq; à quibusdam est, quod multa ex Consilijs Olraadi Laudensis sibi, uero autore dissimulato, ascripserit: & id quidem frequentissimè. Quapropter eum Baldus, insignem furem alienorum laborum alicubi ex clamat, & aliquot eius furta prodit. Cæterum hoc uitium cum nostris etiam temporibus magis ac magis inoleuerit, in quorum scriptores permultos competere uidetur uulgatum illud, Muta stylum, libriq; titulum, & efficias opus nouum: humanius in tanto uiro ferendum est. Porro Ioannem Calderinum, hominem non tantum ingenij, sed etiam indolis optime, in filium adoptauit. quod quidem quamobrem fecerit, amore ne Calderini, an alia de causa, obscurum est: cum aliqui & filium habuerit Boniconium nomine (cuius de Appellationibus tractatus quidam extat) & filiam Bitinam dicitam, quam collocauit Ioanni de Sancto Georgio Bononiensi, celebri iuris Canonici Doctori. Hæc sepulta est Patruj ad S. Antonij in Circuitu, cum hoc Epitaphio:

SEPVLCHRVM DOMINAE BITINAE FILIAE
 QVONDAM DOMINI IOANNIS ANDREAE DE
 BONONIA, ARCHIDOCUTORIS DECRETORVM
 ET VXORIS DOMINI IOANNIS DE SANCTO
 GEORGIO DE BONONIA DOCTORIS DECRETORVM,
 QVAE OBIT ANNO DN. M. CCC. LV.
 DIE LVNAE V OCTOBRIS.

Tandem tempore pestilentissimo ingruente mortuus est, uir immortalitate dignus, Anno M. CCC. XLVIII. Vaticinatus ipse de morte sua uidetur, dum scribit in Additionibus suis, sub Tit. de Filijs presbyterorum: Suspicio quod hæc possent esse ultima mea scripta, &c. Anno enim proximè sequente, uita defunctus est, ut ex prædictis colligi potest. Extat honorificum eius monumentum Bononiae, in templo S. Dominici, cum hæc inscriptione:

Hic

Hic iacet Andrea notissimus orbe Ioannes,
 Primo qui Sextum, Clementis atq; Nouellas,
 Hieronymi laudes, Speculi quoq; iura peregit
 Rabi Doctorum, Lux, Censor, normaq; morũ.

OCCV BVIT ANNO PRAE DIRAE
 PESTIS, M. CCC. XLVIII. DIE VII
 IULII.

CYNVS.

CYNUS ex nobili Sigisboldorum familia Pistorij natus, audiuit præter alios Dynum Muxcellanum, quem multis locis præceptorem reuerendissimum appellat. Vir ingeniosus fuit, & diligens. Scripsit plene super prima parte Digesti ueteris, usque ad Titulum, Si ex noxali causa agatur, inclusiue. et in Secunda parte, super Tit. de rebus creditis. Anno M. CCC. XIII. in die Barnabæ Apostoli absoluit Lecturam suam super Codicem, quam anno præcedenti inceperat. Scripsit autem accuratè, & illis tantum qui aliquo modo iam prouecti in hoc legum studio sunt, ut ipse quodam loco significat. De hac Cyni Lectura refert Baldus, aliquando Baratholum sibi dixisse, quod illud quod suum fabricauerit ingenium, fuerit Lectura Cyni. Et quidem maioris ille authoritatis apud plebos, est ipso præceptore suo Dyno. Canonici iuris sectatores nonnihil exosos habuit, eosq; saepe scriptis suis perstrinxit. De iure consultis qui Canonum quoq; suffragijs utuntur, ita alicubi scribit, quod tales manus habentes extra gazophylacium Iustinianæ thesauri, apud mendicantes merito uadunt mendicatum. Alibi scribit, Canonicos lureconsultos fecisse sibi uia pro libitu uoluntatis suæ, & leges ciuiles eos seruare ad commodum suum, non autem contra se, propter ambitum secularis iurisditionis usurpandæ, et non propter aliud. Fuit tamen amicus Ioannis Andreae, ut per eundem in Additionibus memoratur. Decessit Bononiae, iuxtaq; præceptorem suum Dynum proxime sepeliri uoluit, in simili quo Dynus sepulchro: hoc est, humili & uulgari. Epitaphium autem utriusq; obambulatum

l. nō modus.
 C. de ser. et
 aqua.
 Bal. in Feudal.
 las. in §. 116
 Seruiana.
 Inst. de asti.
 in l. si certis
 C. de pact.

In l. quoties.
 C. de iud.

Gg 3 iium

eum hominum pedibus tempore obrutum est, ut legi non possit. Fuit
 & alius quidam Cynus Pistoriensis, Decretorum Doctor: sed nul-
 lo scripto inclaruit.

OLRADVS DE LAVRE.

Olradus de Ponte, patria Laidensis, sub Dyno præceptore
 Iurisprudentiam didicit. Postea Aduocatus Consistorialis
 Romæ, & demum auditor quoque causarum factus, magna in exi-
 stimatione fuit: potissimum apud Ioannem XXII Pontificem Ma-
 ximum, qui in arduis Reipublicæ negocijs componendis, huius Ol-
 radi consilijs maxime usus fertur. Extat Conciliorum eius uolu-
 men unum longè doctissimum. reliqua uero ipsius scripta (quæ non
 pauca fuisse traduntur) aut intercederunt, aut alia de causa forte ne-
 glecta data sunt. Ex Consilijs huius Olradi multa Ioannes An-
 dreas sibi ascripsit: quo solo uitio se quibusdam reprehendendum
 præbuit. Floruit Olradus Anno M. CCC. XX.

IOANNES CALDERINVS.

Ioannes Calderinus Bononiensis, non eruditione tantum, ue-
 rum etiam uitæ integritate suo tempore celebris fuit. Itaque à
 multis scriptoribus prædicatur, & Doctor magnæ scientiæ, san-
 ctæq; uitæ appellatur. Quæ causa etiam fuit, quod illum Ioannes
 Andreas in filium adoptiuum sibi ex omnibus unum elegerit. Scri-
 psit post ipsum Ioannem Andream Commentaria in Decretales.
 item Consiliorum opus in signe.

IACOBVS DE BVTRIGARIIS, ET
REINERIVS DE FORO LIVII.

Vterque hoc tempore insignis & celebris, uterque Bartho-
 li Saxoferrarij præceptor fuit. Sed Iacobus quidem com-
 plures libros post se reliquit. Scripsit enim super Digesto ueteri, su-
 per Codice quoque Lecturas duas, ueterem & nouam. Item com-
 mentatus est super Tit. de Actionibus, in Institutionibus. Edidit etiã
 quàm plurimas dissertationes, ut refert Baptista Caccialupus. Flo-
 ruir Anno M. CCC. XXX. Raynerius autem & ipse commen-
 tatus

tatus fertur super Iure civili. Sed id in obscuro est. Decepsit ex u-
 uis Patauij: & in Sancti Antonij, ubi nunc in Circu uetus marmo-
 reum illius monumentum uidetur, sepultus.

BARTOLVS.

Bartolus de Saxoferrato natus est Anno M. CCC. IX. Puer
 præceptorem habuit Petrum de Apsistio, uirum doctum &
 eximie piuum, à quo in literis & grammaticis eruditus fuit. Ad
 Iuris civilis disciplinam se contulit Anno ætatis XXIII, in ciuitate
 Perusina: quam tanta diligentia & industria didicit, sub præceptoris
 10 bus Cyno Pistoriensis, Iacobo Butrigario, et Reynerio Foroluiensi,
 ut postea XX anno ætatis Bononiæ de Iure publicè responderit,
 & anno sequenti Solemnia Doctoratus insignia receperit. Hic
 cum intelligeret proxim esse, quæ omnium optime Iuris studioforum
 oculos recludat, animos accendat, & iudicia absoluat, ad eam se sta-
 tim primis post Doctoratum annis contulit, & diligenter illi incu-
 buit. Itaque Assessor criminalium causarum factus, in ea functio-
 ne eò usque perstitit, donec illi res sanè quàm acerba contingeret.
 Nam male audire cepit, quod legibus non perpensis, reum quendam
 20 male examinaisset, & furcæ supplicio præter meritum condemna-
 set. Eius sanè rei & Andreas Barbatus ita meminit, ut ad doctrinã
 Bartoli, qua tradit furem pro furtis alibi commissis, etiam eo loci
 furca puniri posse, ubi furtum leuius, et furca non dignum postea
 commiserit, continere se non possit, quin exclamet. Non mirari se
 istum rigorem Bartoli, cum illud quod imbibimus in annis iuuenili-
 bus, insequatur nos ad candidam usque senectam, dicente poeta:
 Quod noua testa capit, inueterata lapit. Et subiungit: Bartolus in
 annis iuuenilibus fuit iudex malefactorum, & imbibit illam seueritã
 tem condemnandi facinorosos. quare insequitur eum illa seueritas:
 30 & quos nò potuit perdere ore, conatus est perdere calamo. Barto-
 lus igitur, siue cõscientia, siue calumnia illa perturbatus, relicta tali
 functione, rursum ad libros & studia recessit, ad locum Sancti Vi-
 ctoris, qui à Bononia ad II lapidem distat. Vbi cum in solitudine ali-
 quandiu

Vide ipsum Mem. obsou.
 Bar. et Iaso. l. 1. 144.
 in l. quidam l. 1. 157.
 cum fil. ff.
 de uerb. ob-
 lig.

Bal. in l. 1.
 C. qui accu-
 possit.

37

In c. licet. ff.
 de for. cõp.

38

quandiu studijs priuatis incubisset, acersitus ad profitemdum, Pisas contendit. Istic igitur primo anno, etatis autē suae XXXV, edidit celebrem illam Repetitionem Legis, Si is qui pro emptore. in Digest. sub Titulo De usucapionibus: cepit; statim magis ac magis inclarescere. Postea uero relictijs Pisis (foran ob statum eius reipublicae semper turbulentissimum) Perusum concessit. ubi et uxore ducta, et utraque portu constituito, reliquam etatem profitemdo transiit. Quotidianis itaque praelectionibus ibi exercitius, ad illud eruditionis gloriaeque fastigium excreuit, ut dum uiuere, et summi Iurisperiti nomen solus in uniuersa Italia haberet, et ad illum audiendū undiquaque maximus omnium studiosorum concursus esset: et denique mortuus, per elaboratissima sua scripta in comparabilem propesamam, et memoriam sempiternam sit consecutus. Ab hoc plurimi profuxerunt, qui profitemdo scribendoque, post eum clarissimi fuerunt. Ex illis praecipuus fuit Baldus Perusinus, qui refert, Bartholum semper tenuisse opinionem placens Laicis (hoc est, ut ego intelligo, quae semper sensu et intellectu communium accesserint) quod opinionibus suis multū honoris conciliauerit. Illud memorabile est, quod traditur eum toto quinquennio in Repetitione legis De etate, Digest. Tit. De minoribus, absolunda elaborasse. Quem Bartholi morem utinā qui hac etate comentantur, ex aliqua parte imitari dignarentur. pauciores haberemus libros, sed utique meliores, expolitioreque. Est praeterea qui scribit, Bartholum ad pondus comedere solitum fuisse, ut intellectum haberet pariter dispositum, et nunquam alteratum. quod non ridebit, qui Italicorum professorum in ingenio fouendo curam et studium cognitum habet. Diplomatatus autem hoc de Bartholo commemorat, quod memoria non satis firmam fidelemque habuerit, adeo ut si aliquid commentaretur, neque leges in promptu reperiret, Franciscum Tigri Pisanum (qui eodem tempore legit Perusij, et ipsi intima amicitia erat contutus) solitus fuerit accedere, qui locos illi indicaret, et leges suppeditauerit. Habebat enim hic Franciscus magnam Singularium rerum memoriam, ut de ipso Baldus refert. Et sane Angelus quoque

in c. a. de suc
ces. seu.

Ro. lib. 7. 15
alijs. mi.
704.

Franciscus
Tigri Pisanus.

Castrensis testatur, Bartholum ex dictis Francisci Tigri magnum sibi honorem comparasse, exiguum autem ipsi Francisco, ut quem aut nunquam aut raro nominaret. Reprehenditur autem Bartholus alijs quoque hoc de uicio, quod similiter ueterum quoque nomina tacuerit, et illorum inuenta sibi sumpsit. praecipue autē Nicolai de Matruellis Mutinensis antiq. Doctoris, cuius per multas opinionones sibi ascripserit. Sed ita perfectio res habet, quod nullū tam excellens perfectūque ingenium unquam, quin suos habuerit amulos et ocores: et eo quāde plures infestioresque, quo ipsum est ceteris praestantius. Equidē nec ingenium, nec memoria Bartholo defuisse, facile iudicare potest, qui consideret et Hebraicas ipsum literas et Mathematicas (quorum usum ad huc quoque in Commentarijs suis induxit) perdidicisse, et plurimū disciplinarum quam Iuris ciuilis peritia habuisse. Scripsit doctissima Commentaria super totum prope Ius ciuile. quae autem illius nomine supposita sunt lectoribus, et quae suspecta doctis, cum praeter ceteros lason quoque in I. Quidam cum filium. Digest. de Verb. obliga. recensuerit, nihil opus est hic commemorare. Huius Bartholi excellentem doctrinam, ipse quoque Romanorum Imperator Carolus IIII suscepit, eaque de causa et ipsum et omnem eius posteritatem insignibus, et alijs egregijs beneficijs ac priuilegijs illustrauit. Fuit Bartholus sani iudicij et animi, ut aequa integre. Filiam habuit, quam in matrimonium tradidit Nicolao Alexandro, uiro docto et Iureconsulto. Mortuus tandem est Perusij, Anno etatis suae XLVI. Anno uero Dñmni. M. CCC. LV.

ALBERICVS.

Albericus Rosates Bergamensis, aequalis Bartholi fuit. ipse tamen Commentarios Bartholus non uidit: Albericus autem Bartholi uidit, cum aliquoties locos ex illis citet. Fuit uir excellenter doctus, et magnus (ut lason scribit) Practicus: cui plus quam alteri Doctori deseruit Aduocati Mediolanenses. Reliquit doctissima Commentaria super Digestis, et Codice. item De Statutis uolumen I. item Dictionarium in Iure ciuili lib. I. Floruit Anno Millesimo trecentesimo quinquagesimo.

Hh

BAL-
ij q. par. 1.

In l. Si quis
seruo. ff. de
solu.

Bal. in l. pre
ab. C. de
Imp. et al.
Sub.

ipse Barth.
in lib. de In-
fig.

In l. i. ff. de
no. ope. nuz
ci. et alijs lo
cis. et Bart.
in tract. de
praf. car. in

Mant. vobson. leg. pag. 156.

Petrus de Vbaldis nobilis Perusinus, artium & medicinae Doctor, tres sustulit filios, Baldum, Angelum, & Petrum, quos singulos longe diuerso consilio, quam quo ipse uitae studia erat ingressus, non Medicinae, sed iurisperudentiae mancipauit. Quapropter non ipsos tantum longe celeberrimos iureconsultos uidit, & gloriae fructum, quem sperauerat, ex illis percepit: uerum etiam familiam suam omnem hac scientia longa posteritate insignem post se reliquit. Siquidem ex Baldo Zenobius & Franciscus, ex Angelo Alexander, & Angelus nepos: ex Petro uero Matthaeus, & Petrus & Baldus nepotes: ex Baldo porro Nicolaus, Matthaeus, & Sigismundus pronepotes, omnes ferè iureconsulti, descenderunt. Ut igitur ad Baldum reuertamur, audiui ille adolescentulus Ioannem Pogliarensem, quem uocat primum Doctorem suum. Item Franciscum Tigrinū Pisanum, uirum magnae memoriae & doctrinae, sancto. Tit. si etiaq; (ut alij tradunt) uitae. Et Bartholum de Saxoferrato, quem contro. fu. in scribit multum ingenio suo contulisse, et praeter reliquis illis tanquam praeceptorem suum in multis locis praedicat & extollit. Fuit autem Baldus tam maturo felicitq; ingenio, ut xviij statim anno publicè repetierit legem Centum Capuae, Digestis De eo quod certo loco. Fel. in Rub. Postea cum iudiciorum suorum legitimum tempus absoluisset, ac sol. de Magist. luitis Doctoratus insignibus esset ornatus, Bononiam profitendi causa concepit, Anno M. CCC. XLIII. Et quia illuc Bartholus quoq; aduenerat, eo praesente Baldus publicè disputauit Quaestionem illam Senis quoque à se antea (forte in transitu) disputatam, uidelicet, Vtrum municipes alicuius loci statuerè possint: quod non possit fieri appellatio, nisi ad iudicem illius loci. In qua quidem disputatione (ut ipse refert) opposuit se illi Bartolus, & acerrimus antagonistes ab hora xvi usque ad horam xxxi cum eo contendit: sed tandem uictus discessit. Fuit autem & aliàs uehemens altercatio inter eosdè de Textu Parag. ultimi, Legis Si creditor. Digest. de distr. pig. cum Bartolus in suo codice haberet Nullam uenditionem, Baldus uero Villam uenditionem. Adeoq; tum in ea contentione animis exarsuerunt, ut missum suu Pisas, et ueteres Pandectae istic inspectae, que

In c. si uas sal
lus. Tit. si
contro. fu. in
ter do. et uat.

Fel. in Rub.
de Magist.

In tractat.
iudiciario.
Rub. de
App.
Alex. in l. si
filio. §. si. ff.
Solu. matr.

que cum codice Bartoli consonarunt. Quamquam autem complures auctores huius altercationis meminerint, difficulter tamen induci possum, ut illis fidem adhibeam, cum ipse Bartolus in dicta L. Si creditor, & alibi, non alter eius rei mentionem fecerit, quam In l. Filius his uerbis: Cum semel haberent hanc quaestionem, misimus usq; Pisas, ad librum Pandectarum, &c. quem uix crediderim adeo modestum esse potuisse, si cum Baldo illi res tam odiose fuisset. Multo minus uerisimile illud est, quod quidam commenti sunt, Baldum tunc complures aliorum codices corrupisse, expungendo literam N. & ob id fustigatū, patriam suam Perusiu reliquisse, his Scipionis Aphricani uerbis: Ingrata patria, ne ossa quidè mea habeas. atq; ita quasi in exilio consenuisse, mortuūq; esse. Qui enim potuisset Baldus ad eū modū insanire, ut codices corrumpere? Quam excellentis autè & propè diuini fuerit ingenij Baldus, cū ex scriptis illius manifestis simū sit, nihil opus est referre. Eruditionè in illo amplior nemo, sed constantiā cōplures desiderarunt. Variā enim per sepe, et contraria inuicè pugnantiaq; multis in locis scripsit. Sed humanū est hoc uitium, non semper dictorum meminisse, & cause interdum inseruare. Imò uero ne possibile quidem uidetur, ut qui polygraphus est, (qualis Baldus fuit) idem per omnia sibi constare possit. Exempla in promptu sunt. Sed illi forsā non tam uitium illud, quam eius crebritatem in Baldo reprehendunt. Fuit autem Baldus non Ciuilibus tantum, sed & Pontificij Iuris doctissimus: id quod pauci ex aequo praestare potuerunt. Itaque miratur alicubi Ludo. Romanus, quod eū tam magnum Canonistam fugerint aliqua capitula, &c. Cum igitur maximi nominis esset in tota Italia, acerbitus tandem est à loanne Galea Mediolani Duce Papiam, ubi compluribus annis publice professus est. Edidit multa uolumina in iure ciuili, & in iure Canonico. Allegantur etiā quaedā, quae cum operib. suis impressis non inueniuntur, puta liber quem Peculium inscripsit: & Tractatus de Commemorationibus famosissimorum Doctorum in utroque iure, & quaedam alia. Professus est ad extremam usque senectam. Nam sum temporis cum Cōmentaria in Feudales libros pararet, XLVII

In l. Filius
familias. §.
Diui. De
leg. 1.

Bart. in c.
penitentia.
de proba.

In l. admō-
nendi. ff. de
iure iu.

annis prelegerat, ut ipse refert in eorum Commentariorum praefatione. Et tamen ibi subiungit: Quod si ex parte aliquid didicerim, tamen in comparatione latitudinis intellectus profecto nihil me intellexisse agnosco. Haec ille iam senio confectus, & per omnem aetatem in Iuris Scientia diligentissime versatus, uere agnoscere potuit: nos hac aetate agnoscere non possumus, qui nobis nescio inter quot menses Iuris prudentiam arroganter et stulte pollicemur. Filios duos habuit, (ut tradit Iacobus Philippus Bergomensis in Chronici) Zenobium, qui & Equestribus ornamentis & Doctoratus insignibus donatus fuit: et Franciscum, & ipsum utriusque Iuris Doctorem. Mortuus tandem est Anno M. CCCC. XXVIII die Aprilis. & Patris in templo Sancti Francisci (inter cuius familiam adoptari, eiusque habitu sepeliri uoluit) sepultus est. Extat marmor primi sepulchri sui, in eodem templo, habens inscriptionem aliquot uersuum, quorum postremi sunt,

Conditur hic Baldus, Francisci tegmine fultus,
 Doctorum princeps, Perusina conditus arce.

QVI OBIT ANNO M. CCCC. DIE XXVIII
 APRILIS IN AVRORA.

Inde enim iuxta summum altare transportata ipsius ossa sunt, ubi in alio saxo legitur hoc epitaphium:

BALDVS EDITIOREM LOCVM SORTI-
 TVS, HIC OCTO ET DECEM SVpra
 CENTVM ANNIS OB DORMIVERAT.
 M. D. XIX.

ANGELVS PERVSINVS.

Angelus de Vbaldis Perusinus, iisdem praceptoribus quibus & frater, Ius civile didicit. Anno XXXIII suae aetatis Doctoratus insignia sumpsit, & publice profiteri cepit. Non indignus fratre suo Baldo fuit ingenio inferior, eruditione par, acri omnino et solido iudicio praeditus. Itaque Ioannes Pyrrhus hunc inter Triumuiros Iuris prudentiae cum Bartholo & Paulo Castrense nominauit.

Ipse Ang. in
 l. i. §. pueri
 e iam. ff. de
 postu.
 In tract. Sui
 tatis.

minauit. Reliquit doctissima Commentariorum & Consiliorum opera, quibus Ius civile maiore in modum illustrauit. Mortuus est Florentiae, eodem anno quo Baldus frater suus, relicto post se unico filio Alexandro, legum professore. ex quo Angelus secundus, istius Angeli nepos postea prognatus est. Ille a maiorum uirtute uentiqua degenerans, in celebrem Iuris professorem euasit. & cum publico salario multis annis Patavij professor esset, a Sixto Pontifice Maximo Romae uocatus, & in Aduocatorum Consistorij Pontificalis numerum ascitus est.

PETRVS DE VBALDIS.

Tertius denique frater, Petrus de Vbaldis, pari propemodum dexteritate fratrum uestigios ingressus, post legitimum studiorum tempus absolutum, & ipse utriusque Iuris Doctor creatus est. Cum tamen Canonici Iuris studiosior esset, quam Civilis, in eo solo elaborauit, & eruditionis suae multa monumenta reliquit, ut traditur. Ex hoc natus est Matthaeus Vbaldis, uir equestri postea dignitate insignitus, et omni scientiarum genere instructus. Qui duos porro filios procreauit: Petrum, qui utriusque Iuris professor fuit: & Baldum, qui etsi Iureconsultus non esset, prudentia tamen & consilijs inter primos patriae suae proceres habebatur. Hic Baldus au sui Petri Vbaldis felicitatem consecutus est, trium doctissimorum filiorum successione, Nicolai, Matthei, & Sigismundi, quorum prius Rotae auditor, alter publicus Perusij legum professor fuit.

Matthaeus
 Vbaldis.

Baldus.

BARTHOLOMAEVS DE SALICETO.

Bartholomaeus de Saliceto, Bononiensis, eodem cum proxime praedictis tempore exiit. Professus est Ius civile quatuor annis Patavij. Deinde cum in pestifero illo schismate Romanae Ecclesiae per Bonifacium VIII Papam, & Benedictum Antipapam, continuato, tota ferè Italia bellis & seditionibus uexaretur, Bononiam in patriam se recepit, ibi Anno M. CCCC. LXXXII. mense Maio, exorsus est Commentaria sua in IX libros Codicis: quae sequentibus annis iuxta publicas praelectiones absoluti. Professus est autem magna cum laude, & inter sui temporis Doctores

Hib 3 cxxx

cum primis fuit. De hoc scribit Iacobus Philippus Bergomensis in Chronicis, quod Alberto Estensi Ferrariae Marchioni, cum apud eum magno esset in precio, primus author & susceptor fuerit, ut a Bonifacio Pontifice privilegium impetraret Scholae publicae in urbe Ferrariae constituendae. Mortuus est Bononiae, iam senex, et ad Sanctum Dominicum sepultus. ubi in Choro extat illius monumentum, cum hoc Epitaphio:

Hoc tumulo legalis apex, dulcissimus ore,
Et patriæ lux alma suæ pietatis amator,
Iustitiæq; sacræ clypeus, baculusq; cadentis, 10
Qui iuuenis, multoq; etiam uenerabilis ævo
Edocuit: superauit eum nec pena laboris
Scribendo, & pariter Iuris nucleando tenebras,
De Saliceto requiescit Bartholomæus.

PETRVS DE ANCHARANO.

Petrus de Ancharano, Bononiensis, et auditor Baldi fuit. Scripsit in Decretales, Sextum, & Clementinas. item in aliquot potiores Regulas Iuris, in VI. Scripsit quoque in Digest. uetus, & Digest. nouum, ut Caccialupus refert. & opus præterea Consiliorum. Fuit Iureconsultus excellens, & magnæ existimationis. Floruit tempore Saliceti. Mortuus est Bononiae, & in Sancti Domini sepultus, ubi monumentum illius extat, cum longiusculo epitaphio, quod tamen mortis tempus non exprimit.

ANTONIUS DE BUTRIO.

Antonius de Butrio, et ipse Bononiensis, uir excellens, sanctusq; uitæ, & Doctor omni ueneratione dignus fuit, ut inquit Caccialupus. Fuit æqualis Ancharani. Scripsit in Decretales, & Clementinas. item Opus Consiliorum. Et secundum eundem Caccialupum, duo pulchra Repertoria: unum in Iure Canonico, 20 alterum in Iure Ciuili. Mortuus est Anno M. CCCC. VIII. No. Octob. ut habet Epitaphium ipsius, quod Bononiae ad S. Michaelē in Monte (si bene memini) ubi sepultus est, extat.

CHRISTO

Christophorus de Castiliano Mediolanensis, eodem tempore excellens Iureconsultus fuit, acri magnoq; ingenio præditus, & subtilitatum (ut eam lauson uocat) princeps. Itaque, ut fere assollet, ingenij sui facilitate, & doctrinae fiducia, ut olim Antistius Labeo, fretus, multa innovare, & receptas in Scholis opiniones ubique posset magno studio labefactare instituit. Hunc morem Raphael Fulgosius Placentinus, & alter Raphael Comensis, eius discipuli postea secuti, innovationes illas magis ac magis auxerunt. 10
Fuerunt isti duo illustres Iureconsulti. Claruerunt Patauij, Anno M. CCCC. XX. ubi in templo S. Antonij magnificum extat Fulgosij monumentum: cuius epitaphium tamen mortis tempus non meminit.

In l. Admonendi.

Raphaël Fulgosius, & Comensis.

IOANNES DE IMOLA.

Ioannes de Imola eodem hoc tempore extitit. Scripsit in tres priores libros Decretalium. item in Sextum, & Clementinas. In Iure uero ciuili scripsit in Digest. Infortiatum, ut refert Caccialupus. Est cum primarijs interpretibus Iuris, & fuit præceptor Alexandri Imolensis. Obijt Anno Millesimo quadringentesimo tricesimo quinto, X VIII die Februarij.

PAVLVS DE CASTRO.

Huius Imolensis æqualis fuit Paulus de Castro, Iureconsultus doctissimus, & in tota Italia celeberrimus. Professus est Florentiæ, Bononiæ, & Patauij; ubi tandem & uita defunctus est. Multa præclara & eximie auctoritatis scripta post se reliquit. In libros Digestorum, & Codicem, Commentaria: item uolumen Consiliorum. Mortuus est anno M. CCCC. XXXVII. paulo post Ioannem Imolensem. Reliqua ex eius Epitaphio, quod illi satis ornatè Nicolaus de Castro eius ex filio nepos in templo Seruitarum Patauij, iuxta monumentum posuit, colligi possunt. quod ita habet:

30 PAVLVS DE CASTRO IURECONSULTVS DISERTISSIMVS, MAXIMAE AVTHORITATIS APVD OMNES HABITVS, QVOD FLORENTIA TESTA

TVR,

TVR. CVIVS IVS MVNICIPALE INNOVAVIT, ET IN BA CONIVGATVS PETRAE VXORI, VICARIATVS OFFICIVM IN SPIRITVALIBVS RO. PONTIF. DECRETO EXERCVIT. VBI ETIAM IN BONONIENSI ET PATAVINO GYMNASIO PVBLICE PROFITENDO FLORVIT, AETERNAMQVE SIBI GLORIAM COMPARAVIT, RELINQVENS CONSILIORVM ET IN IVRE VOLVMINA PLVRIMA AEDITA, QVAE INTRA MANVS VERSANTVR. ET IPSIVS ANGELVS FILIVS CLARVS INGENIO, AMBORVM IVRIVM TENENS FASTIGIA XL ANNOS PATAVI IVRADOCVIT, EOQVE NICOLAVS CANONICVS PADVA, QVI AB HIS PROCESSIT, VTRAMQVE ET IPSE PARENTVM VIRTVTEM ADEPTVS, HOC IMMORTALITATIS OPVS ILLIS CONSECRAVIT. M. CCCC. XCII.

PANORMITANVS.

Nicolaus Siculus, Abbas primū Monacensis, inde Archiepiscopus Panormitanus fuit. Vnde fit, ut diuersis cognominibus cōmuniter allegetur. Magnae eloquentiae et doctrinae fuit: quae utraque si unquam aliās, certe in Concilio Basiliensi, in eo summē gestis Conc. Basiliens. enituerunt. Professus est Anno M. CCCC. XXXV. & aliquot multis sequentibus, ius Canonicum in Schola Senensi. Edidit Commentaria in Decretales utilissima. Multa praeterea Consilia, Reperitiones, Disputationes. Mortuus est (si bene meminī) non multo post, quam ex Concilio in Italiam rediisset.

ROMANVS.

Ludovicus Pontanus, patria Spolctinus, & tandē ob id quod Romae commoraretur Romanus dictus, Ioannis Petrucij celeberrimi apud Perusinos Iureconsulti, & Ioan. de Imola auditor fuit. Senis & ipse ius civile aliquot annis professus, inde Romam

commigravit. ubi maxima in existimatione habitus est. Panormitano singulari amicitia coniunctus fuit, cum quo postea Basileam ad Synodiam profectus, istic morbo pestilenti correptus, mori obiit, iuuenis admodum, & uix XXXX etatis annum cum egressus, ut commemorat Aeneas Syluius in Historia Basiliensis Concilij, cuius operae precium est integra uerba huc ascribere. Finis, inquit, Panormitani uerbis, Ludovicus Romanus Protonotarius, totius humani iuris gnarus assurrexit. Cuius tanta memoria fuit, ut nulli ueterū cedere putaretur, siue Simonidem, siue Theodecten, siue illum qui a Pyrrho missus ad Senatum uenit Cyneam, siue Carneadem Seriphium, Metrodorum, Hortensium, siue qui horum ultimus fuit Lucium Senecam de diuinitate memoriae cōmendemus. Erat enim memor omnium quae ipse unquam aut legisset, aut audiisset. nec oblitus erat eorum aliquid, quae ipse uidisset. Nec ut ceteri Iurifconsulti principia legum in disputando allegabat, sed quasi Codicem legeret, sic Textum memoriter referebat. Vir non Romae tantum, sed caelo dignus: & cui nemo mortalium comparandus uideretur. non admirationi, sed stupori futurus omnibus populis, si ut aequum uidebatur, etatis tempora duplicasset. Sed inuidit fortuna Italiae, nec tantum scientiae lumen crescere passa est. Immisit pestiferum morbum, uirumq; uix XXXX egressum etatis annum abstulit. nec plus horis sex & triginta fuit aegrotare. Visusq; non transitus ille hominis, sed furtum. Quis enim uirum adeo iuuenē, adeo robustum, tam breui morula expirare putasset? Sed fuit mors damnosior morte cuiusuis regis: quippe quod regi haeres succedit in regno, uiro autem adeo docto nullus superest in literis haeres. Sed diu Cardinalari uir bene meritus manet, apud Carthusiam sepelitur. Haec ille. Reliquit doctissima ingenij sui monumenta, Comment. in Digest. & Codicem. Consiliorum uolumen I. Singularium lib. I. & quasdam Reperitiones. Mortuus est Anno M. CCCC. XXXIX, ut indicat eius Epitaphium, quamquam nimis iam attritum etiam, quod extat apud Carthusianos, in haec uerba:

ANNO DOMINI M. CCCC. XXXIX.

II REVEREN-

REVERENDVS IN CHRISTO PATER DN. LVDO
VICVS PONTANVS DE ROMA, VTRIVSQVE IV-
RIS DOCTOR EGREGIVS S. SEDIS APOSTOLI-
CAE PROTONOTARIVS, CVIVS ANIMA REQVI-
ESCAT IN PACE. AMEN.

Reperitur & aliud Epitaphium in eundem ab Aenea Syluio conscri-
ptum, quod ita habet:

Si mille, aut totidem rapuisses usq; uirorum,
Pestis, adhuc poteram parcere saeva tibi.
Viuens quo nusquam fuerat praestantior alter, 10
Extinctum potius reddis iniqua lues:
Quem fletis Leges, quem fletis lura, sacricq;
Nunc Canones: obijt, quem coluistis, herus.
Hic uos ornat, uestras ubicunq; fuerunt
Soluerat ambages: nunc sine uoce iacet.
Heu uoces, heu uerba uiri diuina, memorq;
Ingenium, quo uis nunc tua multa loco est:
Heu Romane iaces, quo nec Romanior ullius
Ante fuit, quo nec forte futurus erit.
Te pater, & charus retur modo uiuere frater, 20
Heu quantos gemitus ille uel ille dabit,
Te Roma, atq; omnis plorabit Etruria, teq;
Tota petet lachrymis Itala terra pijs.
Tenunc Concilium, te nunc ululatibus unum
Ipsa quoq; extinctum quaerit Ecclesia.
Heu uanas hominum mentes, heu pectora caeca:
Cuiq; dies certum est fata dedisse suos,
Et nos cum Superi statuunt, ueniemus ad illos:
Nemo parum uixit, cui bona uita fuit.

IOANNES DE ANANIA. 30

Ioannes de Anania Bononiensis, ibidem in patria Archidiaconus,
& Canonici iuris professor publicus annis compluribus
fuit. Scripsit in Decretales, reliquit item Consiliorum uolumen I.

Hunc

Hunc Andreas Siculus in Tracta. de Testibus, uocat Sanctae uita
dominum suum, semper merito honore obseruandum. Mortuus est,
Anno M. CCCC. LV.

ALVAROTVS.

Eodem ferè tempore uita defunctus est apud Patauinos Iaco-
bus Aluarotus, ex familia Aluarotorum ibi natus. Praecepto-
re in Iure civili primum usus est Bartholomæo Saliceto. in Iure uero
Canonico, Francisco Zabarella, celebri Iuris professore, qui tan-
dem Cardinalis fuit. eum compatrem quoque suum appellat. Fuit 10
XXX annis in Iureconsultorum Collegio Patauij. Sed XVI tan-
tum annorum meminit, quibus continue praelegerit, incertum Pata-
uij ne an alibi. Tum enim cum Cōmentarios Feudales Vniuersitati
dedicaret, in professorum numero se non fuisse, in ipso operis limi-
ne significat. Mortuus est Anno M. CCCC. LIII. aetatis suae (ut
Bergo tradit) anno LXXVIII. Sepultus est in tēplo Sancti Antonij,
ubi iuxta sacellum Sancti Ioannis in Tabula legitur hoc Epitaphiū:

AMICE QUI ISTAC TRANSIS, ETSI PROPE-
RAS, LAPIS HIC TE ROGAT, VT PAULISPER IN
20 HAEREBAS, ET HAEC SCRIPTA LEGAS. HAC IN
BASILICA BEATI IOAN. BAPTISTAE SVNT IA-
COBI ALVAROTI PATAVI INSITA OSSA. QUI
DVM VIXIT, SVO STUDIO ET DOCTRINA
POST SVSCEPTAS DOCTORALES INFVLAS,
COMMENTARIOS VTILES CVM REPERTORIO
IN IVS FEVDALE FORMAVIT: EOSQVE VE-
NERANDAE VNIVERSITATI IVRISTARVM DO-
NAVIT. VOLVI VT ISTA NON IGNORES, ET
PRO ANIMA IPSIVS ORES, OBIT AVTEM
30 DIE LVNAE, XVIIII IVNII
ANNO M. CCCC. LIII. V. F.

li 2 COR-

Ioannes Pe-
truius.

Philippus Corneus Perusij natus est, ex nobilissima istic & vetustissima Corneorum familia. Domi a priuatis præceptoribus literis & artibus feliciter institutus, cum XII annum excessisset, & ultra etatē animo et iudicio maturaresceret, statim se ad ius ciuile descendendum contulit. Auduit Ioannē Petrutium, qui tum mane prælegebat. Is Petrutius Perusinus erat, vir nobilis, professor doctissimus, & tum temporis celeberrimus. Multi illum clarissimi viri audiuerunt: inter quos fuerunt, Ludouicus Pontanus, Ioan. Baptista Caccialupus, & hic Corneus: qui eius postea gener factus est, ut dicitur. Excessit autem e uiuis Anno M. CCCC. LXII. Tantam autem eximia diligentia sua iuris scientiā paucis annis Corneus consequabatur, ut præter alios, ipsius quoque præceptoris animum in admirationem & sui amorem pertraxerit. Itaque Petrutius illi tum adhuc discipulo suo, filiam cum magna dote despondit, ex qua postea Philippus VI liberos sustulit, III masculos, et totidē femellas. Cum autem posthæc, solennia Doctoratus insignia recepisset, statim suscipi, prædicari, & celebrari cepit. Primo enim Perusij cum aliquandiu professus esset, a multis undiq; Gymnasijs expetitius accersitusq; fuit. Inprimis autem Ferrarienses non desiterunt, donec illum maximis propositis præhijis ad sese pellexissent. Sed paulo post indignabundis Sixti summi pontificis literis reuocatus, & Perusum redire coactus est. Verum cum status Perusinae reipub. nescio quibus ex causis turbaretur, obtinuerunt ab eo Florentini, ut in Pisana schola ius p̄fiteretur, uidelicet ut illa iam collapsa, illius fama rursus instauraretur, et illustraretur. quod quidē sedulo per triennium præstitit. Ceterū cum illū Perusij sui maximopere desiderarent, per Pontificē Romanū iterum effecerunt, ut ille Perusum retraheretur. Ex eo autē tempore quo istuc redijt, celeberrimus semper non modo profitendo, sed et consiliendo et patrocinando factus atq; habitus est. Studiofissimus per omnē etatem fuit, & laborum tolerantissimus. Professus est annis circiter quinquaginta. Reliquit Cōmentaria in Codicem, & quatuor uolumina Consiliorū. Mortuus est tandē Anno etatis LXXVII. superste uxorē & liberis.

ALEX-

Alexander de Tartagnis, patria Imolensis, Ioannis de Imola popularis sui, & Ioannis de Anania discipulus fuit. Doctor utriusq; iuris XXXI anno etatis suæ creatus est. Ius ciuile prælegit aliquot annis Patauj, ubi Concurrenter habuit Bartholomæum Cepollam Veronensem. Cum hoc accerrimam habuit contentionem, præcedendi causa, cum Cepolla, quanquam seniori, cedere nollet, et fiducia doctrinæ ille se anteponeret. Professus est item Ferrariæ: & demum Bononiæ, ubi reliquam etatem transegit, & eam scholanominis sui celebritate ita illustrauit, ut quicquid usquā liris studioforum esset, istuc confluerit. Absolutissimam doctrinam, et summam in docendo gratiam habuit. Publicè annis XXXX fere docuit. Conscripsit egregia opera, quæ nota sunt. Excessit e uiuis Anno M. CCCC. LXXVII. etatis uero suæ LIII. relictis tribus filijs: quorum maior natu Antonius, & ipse parisi exemplo utriusq; iuris Doctor fuit. Extat ipsius Alexandri magnificentissimū monumentum, ex candido marmore elaboratissimum, in templo S. Domini loco conspicuo positum, cum hoc Epitaphio:

ALEXANDRO TARTAGNO IMOLENSI
LEGVM VERISSIMO AC FIDISSIMO INTER-
PRETI, Q. V. AN. LIII. FILII PIEN-
TISS. P. OPT. B. M. POS. OBIIT
ANNO M. CCCC. LXXVII.

FELINVS.

Felinus ex nobili Saneorum familia Ferrariæ natus, ibidem in patria Ferraria, & Pisis publicè multis annis ius ciuile, tantā diligentia, tantoq; iudicio docuit, ut suo tempore omnibus prope modū professoribus fuerit prælatius. Itaque & plurimos auditores sectatoresq; habuit, & celeberrimi in Italia nominis fuit. Quæ de causa Innocentius octauus eum Romanum accersitum, in Collegium Rotæ legit, multis que insuper dignitatibus auxit. Reliqui doctissima ingenij sui, & longe utilissima monumenta, quæ nota sunt.

li 3 ROMA-

Ioannes Maria Riminaldus, et ipse Ferrariensis, Alexandri Ino-
lensis auditor & discipulus Ferrariæ magna cum laude Ius ciui-
le professus est. Extant illius aliquot scripta. Mortuus est Anno M.
CCCC. XCVI. ætatis autem LXIII. Inq; Sancti Francisci tem-
plo ingenti funeris pompa sepultus.

IASON DE MAINO ME-
DIOLANENSIS.

His successit Iason de Mayno, Patricius Mediolanensis, Ca-
tonis Sacci Papiensis discipulus, qui compluribus annis Pa-
tauij publicè professus est. Postea Papiam quasi in patriam, à Ludo-
uico Sfortia Mediolani Duce renocatus, & ab eo inter Ducales
Senatores relatus, ad finem usque suæ uitæ XX amplius annis istic
prælegit. Erat uir magni ingenij, caterarum quoque artium, Rhetor-
icæ puto & Philosophiæ non ignarus. In iure uero ciuili in Italia
cum Carolo Ruino, & Decio, facile princeps suo tempore fuit.
Commentaria sua nota sunt. Mortuus est anno M. D. XIX. men-
se Aprili. Papiæ extra urbem in Cœnobio S. Pauli sepultus. Eius Epi-
taphium (si bene memini) ita habet:

HIC REQUIESCIT IASON MAYNVS,
QUIS QVIS ILLE FUIT.

Sed & aliud Epitaphium eius extat, longe id quidem elegantissi-
mum, in hæc uerba:

Quis tacet hoc hospes tumulo? Quis? Sumus Iason.
Ille ne Phryxæ uellere diues ouis?
Clarior hic illo longe est. Quis' nam oro? Maynus,
Excellens Iuris gloria Cæsarei,
Non fuit hoc quisquam Iuris consultior alter,
Qui extinctum possit reddere ius melius.
Sed tamen hoc summi uetuit mens dia parentis,
Cæsaribus cupiens usque fauere Ius.
Te audij, ô nimium felix, qui iura legentem,
Damnantemq; acri plurima iudicio.

Nec

Nec tamen infelix, tua qui monumenta reuoluit,
Et memori condit lecta, fouetq; sinu,
